



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Solvuntur obiectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

Dixerunt alii secundò. Demones & animas ab igne pati, eò quòd apprehendunt ignem sibi esse nocivum. Sed contra est primò. Quòd hęc ratione contra proprietatem verborum S. Script. pœna pœna Spirituum damnatorum efficiatur metaphorica & imaginaria; nec tam ab igne, quàm sua imaginatiòe Spiritus torquerentur. Contrà est secundò. Illa apprehensio vel foret vera, vel falsa: Si vera, jam supponit ignem nocivum esse; adeòque præter apprehensionem debet aliud quid assignari, per quod ignis fiat nocivus. Si falsa, tunc DEUS positivè concurreret ad errorem & falsitatem, quippe à quo pœna principaliter infigitur, & species hoc modo repræsentativæ infunderentur: sed hoc est absurdum: ergò.

Dixerunt alii tertio: Quòd ignis immediate producat in damone tristitiam, quam mediante qualitate dolorifera tradit in anima conjuncta corpori.

Sed contra est, quòd implicat actus vitalis absque suo objecto: sed pro actu vitali tristitiæ hic nullum supponeretur objectum, hoc enim esset qualitas dolorifera; quæ tamen nulla est.

Dixerunt alii quarto. Ignem infernalem per productionem sui caloris in substantia Spiritus damnati, eò modo cruciare Spiritum; quo modo corpora cruciat. Contrà enim est primò. Quòd nulla potius sit proportio inter qualitates corporeas, & potentias spirituales, quò modo ergo Spiritus recipiet calorem? Secundò. Si Spiritus reciperet calorem, quid ille calor molesti inferret Spiritui; quòdnam ejus temperamentum lederet? cum non alia ratione corpori sit molestus, quàm quia ejus temperamentum totamque compagem dissolvit, & in ignem convertit.

Dixerunt alii quinto. Ab igne infernali procedit qualitate sadantem, & deturpantem substantiam Angeli; uti ex oppositò per gratiam habitantem eadem substantia exornatur, & hujusmodi qualitatis perpetuo aspectu & consideratione demones torqueri. Sed contra est, quòd illa qualitas sadans deberet à substantia Angeli auferre aliquem decorem & perfectionem naturalem; sadans quippe, quæ auferret decorem Angelorum supernaturalis, est macula peccati mortalis; quæ non est Angelorum pœna; sed culpa: atqui non offendit ista sententia, quisquam decore naturalis per ignem infernalem Angelo sit deperditus, siquidem naturalia in demonibus manerunt intacta.

In hoc labyrintho variarum opinionum sequendum est filium Angelici Doctoris, juxta cuius mentem sit.

CONCLUSIO. Pena sensus, quam Spiritus damnati patiuntur, consistit (1.) in eorum alligatiòe ad ignem infernalem (2.) quam ipse ignis efficitur causa (3.) in eorum intellectu Divinà virtute producendo qualitatem spiritualem impediriòem, ne alibi operari possint (4.) simulque excitatiòem ad perpetuam considerationem hujus alligatiòis. S. D. hic, & 4. contr. gentes. c. 90.

Prima pars, quòd demones alligatiòe puniantur, constat in primis ex loco Script. supr. cit. Ex Epist. S. Judæ. *Vinculis æternis sub caligine referantur Apoc. 20. misit eum in abyssum, & clausit.*

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

& signavit super illum. Ratio quoque est, quòd ejusmodi alligatiòe maximam molestiam interat spiritibus, qui supra naturam liberi, ac super omnem corpoream haturam elevati per hanc alligatiòem quoad suas potentias & operationes corpori subiciuntur & impediuntur, ne pro suo libitu in alia loca & corpora operationem suam exercere, seq̄ue ab uno in aliud liberè transferre possint. Nec alius modus torquendi est assignabilis, ut ex aliorum opinionum refutatione constat.

Secunda pars, quam tradit S. D. q. 26. d. 11. Verit. a. 1. probatur. S. Scriptura exponenda est cum proprietate, quamdiu nullum sequitur inconveniens; sed Verba S. Scripturæ significant veram & physicam actionem, quæ Spiritus ab igne detinetur, veluti cum dives Epulo queritur Luc. 16. *Crucior in hac flamma.* Adde, quòd sine effectiva alligatiòe non rectè intelligi possit violenta depressio & subjectio Angeli sub igne corporeo, quæ tamen requiritur ad hoc, ut Angelus non solum violenter in igne, sed etiam ab igne detineri, & torqueri dicatur.

Tertia pars probatur. Non potest Angelus violentè & effectivè detineri, nisi effectivè impediatur ab actione intellectiva formaliter immanenti, & virtualiter transenti; quia Angelus non nisi per imperium prædictum intellectus formaliter immanens, & virtualiter transiens in loco constituitur, ut dictum disp. 28. a. 2. Sed hoc non potest intelligi, nisi Angelus Physicam entitatem ab igne productam recipiat in intellectu, per quam ab ejusmodi operatione elicenda impediatur: ergo. Jam verò illa Physica entitas non est substantia, ut per se patet: non ubi modale, quòd nullibi admittimus, restat ergo ut sit qualitas, non quidem corporea, cujus in subjecto spiritali nulla est capacitas, ergo spiritalis.

Quarta pars inde constat, quòd in demonibus perpetuò sit summus dolor, & tristitia; sed hæc requirunt apprehensionem mali disconvenientis: ergo demones continuò excitantur ad considerationem hujus alligatiòis, veluti mali sibi summè disconvenientis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò. S. Script. & PP. in tormento ignis infernalis plus insinuare, quàm solam detentionem & alligatiòem, nam dives Epulo cit. q. 16. *Luca, non dixit tantum, detineor, sed crucior in hac flamma.*

Respondeo plus significari à Scriptura & PP. quàm alligatiòem, prout ista significat solam præsentiam in loco, concedo, prout significat violentam subjectiòem ad corpus locans, & impedimentum operationum connaturalium, nego.

Obijc. secundò. Alligatiòe ad locum videtur magis pertinere ad pœnam damni, quàm sensus, cum etiam pueri limbo detenti sint loco alligati, nec tamen ex communi Theologorum sententia patiuntur pœnam sensus.

Respondeo negando antecedens, & ratio patet ex modò dictis, quia alligatiòe, de qua loquimur, ultra præsentiam importat violentam subjectiòem

P p

nem

nem Spiritus ad ignem, & impeditionem operationum connaturalium, qualem non patiuntur parvuli in limbo detenti.

¶ 6. Obijcies tertio. Pœna alligationis est æqualis in omnibus damnatis, nec tamen æqualis est pœna sensus: ergo pœna sensus non consistit in alligatione.

Respondeo negando antecedens: quia quanto quisque Spiritus est nobilior, tanto molestius fert, se ab ignobili corpore detineri & subjugari.

¶ 7. Obijcies quarto. Dæmones existentes in aëre patiuntur pœnam sensus, nec tamen sunt alligati ad ignem infernalem: ergo pœna sensus in alligatione facta ab igne infernali non rectè salvaritur.

Respondeo, dæmonem in aëre existentem vel ab ipso igne quamvis distante, divinâ tamen vir-

tute elevato torqueri, vel ipsum aërem, aut aliud corpus elevari ad eandem pœnam æquivalenter inferendam: quæ ipsa etiam animabus damnatis in flammis purgatorii patientibus proportionaliter sunt applicanda.

Colliges ex dictis; quamvis hæc verosimilitudine de alterius mundi panis è D. Thomæ doctrina dicantur, illarum tamen modum esse ut obcurritur, sic incertissimum, nihilque in hac re certum posse statui, quàm quod D. Augustinus expressit l. 21. d. civit. c. 10. *miris, veris tamen modis etiam Spiritus incorporeos pœna corporalis ignis affigit, cum Spiritus hominum etiam ipsi incorporei & nec potuerint includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis infelicitate alligari.*

DISPUTATIO XXXVI.

DE

Ordinatione & officiis Angelorum.

Nunc Angelos ad se invicem & ad hominem comparatos cum S. D. à q. 106. consideramus, & primum, quomodo sibi loquantur, seque illuminent, tum quibus ordinibus, ac officiis distinguantur, hominésque gubernent, disquirimus.

ARTICULUS I.

Quomodo Angeli invicem loquantur, seque illuminent?

SUMMARIUM.

1. *Requista ad locutionem.*
2. *Locutio fit per directionem sui conceptus.*
3. *Illuminationem Angelorum probat auctoritas.*
4. *Et ratio S. Doctoris.*
5. *Quomodo fiat illuminatio?*
6. *De quibus objectis fiat?*
7. *Conditiones & definitio illuminationis.*

§. I.

Exponitur locutio Angelorum.

¶ **L**oqui est suum conceptum ad alterum ordinando & dirigendo eidem manifestare. Unde primò ad locutionem requiritur actus voluntatis, quo quis vult & consentit actum suum alteri innoscere: ideo qui absque tali ordinatione ad alterum, casu aliquo v. g. in somno, aut ebrietate verba proferret, non verè diceretur loqui. Secundò, ut conceptus ad audientem directus fiat ipsi manifestus, si antea erat ignotus: in quem finem nostra locutio indiget quibusdam signis, & vocibus vel formalibus, vel virtualibus. Siquidem, ut S. D. hęc, nostra cognitio duplici impedimento alteri occultatur, nempe voluntate intelligentis, & grossitie corporeæ molis; quæ causa est, quòd ad locutionem non sufficiat sola voluntatis directio, nisi insuper accedat externa significatio.

Dixi tamen. Si conceptus antea fuit ignotus; in ea quippe locutione, quæ DEO omnia cor-

dium secreta inspicienti loquimur, nulli est obus manifestacione. Hoc posito queritur, quòd ratione unus Angelus loquatur alteri? nam Angelus colloqui clara est S. Script. Auctoritas 1. Cor. 13. 1. 6. Apoc. 6. nec tamen exterioribus signis innoscere, ex conditione naturæ incorporeæ certum est.

CONCLUSIO. *Angelorum locutio in hoc consistit, quòd Angelus loquens per actum voluntatis consentit, ut suus conceptus alteri innoscatur.*

Ratio S. D. est: loqui (ut dictum) est suum conceptum alteri manifestare; sed hoc fit, quamprimum Angelus consentit, ut suus conceptus innoscatur alteri: ergo, Minor probatur. Tunc manifestatur conceptus alteri, quando ad illum dirigatur, & tollitur impedimentum obstant manifestacioni; sed utrumque fit per voluntatis consentum, ut suus conceptus huic determinatæ personæ fiat manifestus: ergo, Minor quoad primum membrum patet, nil enim aliud est dirigere suum conceptum, quàm velle, ut potius huic, quàm alteri innoscatur. Quoad 2. membrum probatur. Unicum impedimentum manifestacionis est voluntas Angeli, sub suo jure & potestate conceptum retinens (nam Angelum habere congenitas species, quibus in actu primo representantur operationes aliorum Angelorum, suppono ex dictis) sed hoc impedimentum removetur hoc ipso actu, quo Angelus suo jure cedit, & vult, ut suus conceptus non minus alteri, quàm sibi sit cognitus: ergo.

§. II. *Explic.*